

1. Se  
2. Se  
3. Se  
4. Se  
5. Se  
6. Se  
7. Se  
8. Se  
9. Se  
10. Se  
11. Se  
12. Se  
13. Se  
14. Se  
15. Se  
16. Se  
17. Se



16  
Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
INFLAMMATIONIS  
IDEAM

SISTENS

QUAM

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

PRO LICENTIA

GRADUM MEDICINÆ DOCTORIS

LEGITIME OBTINENDI

DIE XIX. JULII MDCCLXXIX.

SOLENNITER DEFENDET

JOHANNES FRIEDERICUS

SEIFERHELD

SUEVO-HALLENSIS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.



DISPUTATIO IN PUBLICA CITATIONE MEDICI  
IN FLEMMATIONIS  
IDEAM  
SISTENS

QUAM  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
CONSORSII

THEO. FICENTIA  
GRADUALI MEDICINAE DOCTORI

PRIMUM CANTONIS  
DIE XIX. JUNII MDCCLXXIX  
PUBLICE DEFENDIT

JOHANNES WILHELMUS  
SILV. HALLENSIS

A. L. C.

ALBERTUS  
THEO. HENRICH HILTIUS PUBLICUS PRÆCEPTOR



SACRI ROMANI IMPERII LIBERÆ ATQUE INCLUTÆ

SUEVO - HALENSIS REIPUBLICÆ

MAGISTRATUI

VIRIS

*ILLUSTRIBUS GENEROSIS*

*MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS*

*NOBILISSIMIS DOCTISSIMIS*

*CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS* *Sque*

DOMINIS CONSILIARIBUS

QUINQUEVIRIS

CONSILIARIIS

RELIQUISQUE

SENATORII ORDINIS

ASSESSORIBUS

GRAVISSIMIS

PATRIÆ PATRIBUS OPTIMIS

MERITISSIMISQUE




MÆCENATIBUS  
AC  
PATRONIS  
GRATIOSISSIMIS  
DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM  
CUM VOTIS ARDENTISSIMIS  
PRO SALUTE AC INCOLUMITATE  
TANTORUM VIRO-  
RUM  
D. D. D.  
ILLUSTRIUM NOMINUM

devotissimus

AUCTOR





## PRODROMUS.



Si in quadam salutiferæ nostræ artis parte Auctores ab omni retro tempore in diversas abierunt sententias, certe & de inflammationis theoria, quam ad hocce usque ævum aluerunt variis temporibus varii Hippocraticæ artis sectatores, pronuntiari poterit tritum illud adagium; quot capita, tot sensus. Antiquiores etenim, uti GALENUS, mediæ ætatis medici, uti SYLVIVS, WILLISIUS, quosque exceperunt STAHLIVS, BOERHAAVIUS, PLATNERUS senior, cum suis affectis, recentioris denique ævi, HALLERUS, GORTERUS, PLATNERUS junior, SAUVAGES & WINTERL ratione variarum, quas de inflammatione fovebant, opinionum, proprias quasi constituerunt hac in re periodos. Equidem omnia horum auctorum enarrare certamina, quum superfluum sit, quippe eadem jam in variis medicorum scriptis uberrime depicta

occurrant a), paucis nunc, Speciminis Academici loco, quid ego hac de materia sentiam, Benevolo Lectori communicabo; certe persuasus, eundem pro nota sua humanitate, quippe qua inter alia omnes veri eruditi omnitempore sese a semidoctorum atque circumforaneorum molestissima turba distinguere tentarunt, illa, quæ forte falsa atque erronea occurrent, debilibus admodum tyronis in arte medica viribus, condonaturum esse.

---

§. I.

**O**mnia corpora inflammabilia particulis igneis substantialibus scaturere, tum ratiocinio, tum experientia jam dudum evictum est. Intelligunt autem Physici sub voce ignis, mox ignem illum elementarem, tanquam substantiam elasticam, fluidam, per totum mundum dispersam; mox principium illud inflammabile, Phlogiston Græcis dictum, quod corporibus facultatem conciliat, occasione data in verum ignem atque flammam erumpendi; mox quoque ipsam flammam ex phlogistico, accedente causa quadam, ortam; denique non raro & lumen, quatenus calorem producere valet, ignis nomine insignitur.

§. II.

Radii solis ex serie minimarum particularum, ex ipso effluentium, in linea recta positarum, ac minime penes omnium inter sese cohærentium, constant; concentrati lumen, calorem, ignem, tandemque flammam, si ipsi terreæ admiscentur particulæ, constituunt. Probabile ita-

---

a) Cf. *Supplementa Platneri junioris ad Chirurg. Dissertatio Cl. WINTERL de nova inflammationis theoria*, Cap. 1.

b) Cf. EBERHARD, *Erste Gründe der Naturlehre*, p. 357.



que est, unicum tantummodo dari materiem elementarem igneam, quamque plurimi ab ipso sole, alii autem ab ejusdem modificatione derivant, ratione modi quoque, quo hoc fiat, inter se dissentiunt, dum quidam solem ipsum huncce ignem elementarem constituere affirmant, alii rursus eundem tanquam effluxum harum particularum e sole considerant. Istud nunc corpus, quod solem appellamus, radiis suis omnia corpora opaca illuminat, illa quoque tanto calidiora reddit, quo sunt specificè graviora atque densiora; nam si metallum, lapidem, & lignum æqualis magnitudinis, juxta se soli per aliquot horas exponas, metallum præ calore vix sine læsione tangitur, mitior est gradus calor in lapide, & minimus in ligno. Extendit porro calor solis tam fluida quam solida, uti spiritus vini atque thermometra demonstrant. Radii denique solis operæ speculorum metallicorum atque majorum vitrorum causticorum, æstate, die perfectè sereno, & circa meridiei tempus collecti, corpora inflammabilia accendunt & metalla fundunt, ita ut ignis catoptricus atque dioptricus fortissimus omnino sit, quem unquam excitare valeamus. Dum itaque sol omnes ignis effectus radiis suis exhibeat, ipse ignis erit, & radii ejusdem infinitæ series particularum ignearum c). Ignis igitur est congeries corpusculorum subtilissimorum, levissime inter se cohærentium; pertinet itaque ad fluida, quippe quorum particule adeo leviter in uno vel altero tantummodo puncto inter se cohærent, ut facillimo negotio a se invicem separari possint. Id ergo, quod ignem vocamus, penetrat brevi tempore omnia corpora, istorumque particulas movet. Hanc ignis actionem dum percipimus, nos calorem percipere dicimus, id quod quotidiana docet experientia; calorem

c) Vid. HAMBERGERI *Element. Phys.* p. 492.

igitur in corpore quodam dum cogitamus, motum cogitamus particularum ignearum in isto corpore.

§. III.

Hæ nunc dictæ particulæ igneæ ex quocunque corpore in quocunque aliud transire poterunt, quod ignem tanta quantitate relative non possidet; quod autem illas in aëre natantes, tanquam particulas radiorum solis seu lucis, vel quoque tanquam radios diversos cum aëre inspiciemus, simul & per vasa inhalantia attrahamus, valde probabile est; id quod etiam inter alios experientissimus in arte chemica MAYERUS confirmat d), en ejus verba: *Ich vermuthe nicht gänzlich zu irren, wenn ich dafür halte, daß das eigentliche, leuchtende, erhitzende, entzündende und zerstörende Feuer in denen Körpern nichts anders seye, als concentrirte Lichttheilgen der Sonnenstralen, die in allen brennbaren Körpern bey ihrem Wachsthum eingetretten, und in die Enge gebracht sind, so wie die Strahlen der Sonne, wenn sie vermittelst des Brennglases concentrirt, und in einen Punkt zusammen gebracht sind, das nemliche leuchtende, hitzende, zündende und zerstörende Feuer zeigen, obgleich nach seiner Heftigkeit und Wirkung in einem höhern Grad, weil die Lichttheilgen in einem vermengten Körper ohnmöglich so nahe können gebracht werden, als es mit dem reinen Lichte durch das Brennglas geschehen kan.* HAMBERGERUS in Elementis suis phycis e), ait: *Ignis in corpus solidum quocunque penetrat, cohesionem particularum ejusdem minorem reddit, paululum corpora extendit, corpora solida quoque pro diversa gravitate specifica diversam caloris quantitatem ex aëre absorbent, diutius tamen ob easdem causas calorem servant solida, quam fluida.*

§. IV.

---

d) Chymische Versuch.  
e) Pagina 325.

Cum itaque particulas illas igneas in omnibus inflammabilibus corporibus obtinere notum sit, eas & in humano corpore adesse, pronum est colligere. Est igitur in omnibus hisce corporibus verum phlogiston, id est minima ac subtilissima radiorum lucis aut solis particula, sive si vis, subtilissima ignis stamina, in toto corpore dispersa, aliis ejusdem corporis elementaribus particulis ita intermixta, ut alterum alteri non contiguum sit. Uti enim aer in omnibus reperitur corporibus, ceteris corporis principiis ita interpositus, ut vim suam elasticam exferere nequeat, adeoque fixus appelletur, ita quoque principium illud inflammabile eodem modo in corporibus distributum, dum nimirum particulae illius minimae elementares aliis heterogeneis interpositae, ita ut vim suam igniferam exferere non possint; adeoque phlogiston omni iure ignis fixus appellari meretur. Hocce nunc phlogiston in omnibus quoque animalibus corporibus praesens, pro variis horum individuis, ratione suae quantitatis etiam variat; uti enim in aliis aqua, in aliis rursus terra, ita quoque in aliis phlogiston excedit; nonne itaque a temperamento sic dicto cholericum ad excessum hujus phlogiston omni iure concludere licet? Hoc ceterum verum est, quod quantitas hujus inflammabilis principii non raro ad summum usque gradum augeri possit, & tamen vim suam exferere non valeat, dummodo limites non transgrediat, sicque in statu inertiae permaneat. Consummatissimus cholericus nullum periclitabitur inflammatorum morbum, imo potius canam attinget senectutem, dummodo omnes illas causas prudens evitet, quibus ipsius phlogiston evolvi sicque in motum cieri valet. Calorem etenim corporis nostri ad gradum usque roomum imo & 140mum ascendere posse, tam sensatio, quam Fahrenheitianum thermo-

metrum demonstrant, ita tamen ut corpori non lethalis fit. Operæ nunc pretium erit, ut quoque in causas inquiram, quibus hocce phlogiston evolvi, sicque summum calorem excitare valet.

§. V.

Duplex obtinet in vasis humorum motus, progressivus alter & alter intestinus. Quodsi enim ipsi humores ex infinitis consistunt globulis minimis, sibi ratione magnitudinis non solum, sed & variorum secundum omnes possibiles directiones motuum admodum dissimilibus, si porro humores, quamdiu fluiditate gaudent, omnium horum motuum capaces sunt, si tandem eidem in quovis vase humani corporis, a cute, musculis, aëre externo, simul & a vasis vicinis, variam experiuntur pressionem, ex hisce præmissis quivis facile concludere poterit, quemvis ejusmodi globulum, impulsum, gravitatem, atque elasticitatem tam a cute, musculis, atque vasis circumjacentibus, quam & ab anterioribus, posterioribus & lateralibus globulis accipere, pro varia qualitate atque motu corporis; prouti itaque quivis sanguineus globulus in puncto quodam illum impulsum experitur quavis nova cordis contractione, circa suam axin moveri, in minores dividi, sicque ulterius protrudi debet; prior intestinus, posterior progressivus motus audit.

§. VI.

Omnia porro vasa corporis nostri, quæ fibris gaudent muscularibus, irritabilia esse, nemo est, qui ignorat; hæcce quippe irritabilitas, seu sic dicta vis vitalis ab Ill. HALLERUS uberrime demonstrata, in tota regnat musculari fibra, estque illa vis interna, propria, viva, qua, stimulo applicato, eadem in motum cietur, sicque se

contrahit. Varios itidem hujus irritabilitatis gradus, tam ratione variarum corporis partium, quam & variorum quæ dantur individuorum reperiri, notissimum est. Suo itaque quodvis individuum gaudet irritabilitatis gradu, quo vel excedente vel deficiente varia omnino mala surgere debent. Irritabilitate enim imminuta, torpor adest, languet totum circulationis systema, adeoque omnia illa mala, quæ pathologi docent, oriri poterunt. Quodsi autem irritabilitas ultra modum adaucta, & ita crethismus obtinet, tunc utique vasa nunc majori vi contrahuntur, atque contentos humores celeriori motu propellunt. Omne itaque id, quod stimuli loco hanc vim vitalem in majorem ciet motum, hujus irritabilitatis adauctæ causa erit. Quodsi igitur vasa a quocunque stimulo irriterentur, eorundem contractio semper solito major erit, vasorum parietes in eodem illo loco sic affecto semper magis ad se invicem accedent, sanguinem intus contentum prement, atterentque; orietur sic magna particularum sanguinis affricio, qua ipsæ hæ particule in minima sic dicta elementa physica decomponuntur, & ita eodem tempore evolvitur quoque phlogiston; particule ejusdem sibi nunc fiunt viciniore, atque perdurante stimulo, maximum calorem producunt, quem inflammationem nominamus. Alius itaque gradus hujus contractionis levem tantummodo inflammationem, alius iterum validiorem efficiet, alius quoque excretionem impedit, uti hoc fit in febribus inflammatoriis; in alio rursus gradu evacuationes illæ fient frequentiores, quando, v. c. sudor atque saliva a stimulo admodum languido in quibusdam hypochondriacis elicitur; tandem quoque ipsa illa contractio adeo incrementum poterit, ut & convulsionem excitet. Semper itaque calor in corpore nostro orietur, dum phlogiston majorem experitur motum atque impetum; id quod videmus in omni corpore, quod multum hujus inflammabilis principii pos-

fidet, ratione structuræ autem non adeo firmum est, quando ejusmodi corpus vehementius atteritur, tunc primum incalefcit, continuante autem diu illo attritu inflammatur, id est, inflammabile in illo reperiendum ab aliis particulis natura sua diversis, nunc liberatur, sese colligit, & ita sensum caloris imprimiit f). Quamdiu itaque, uti supra innuimus, phlogiston in statu inertiae est, nullum producere valebit effectum causticum, necesse itaque est, ut agitetur, idque fit præcipue validissima actione parietum vaporum in humorem contentum. Inflammatio itaque erit validus minimarum particularum sanguinis attritus, ab irritatione quadam proveniens, quo particulae igniferæ in sanguine contentæ evolvuntur, sibi que nunc viciniore redditaæ maximi caloris sensum imprimunt. Dum igitur febris omnis in actione cordis atque arteriarum præternaturali consistat, debet utique stimulus adesse, quem HOME g) in celeriore liquidi nervosi in fibras contractiles influxu quærit; SENAC h) inflammationem pariter a stimulo deducit, absque ulla præcedente obstructione: *Stimulo, inquit, alicui parti applicato, cordis actio per consensum cum ea parte intenditur, obstructio autem per se non mutat actionem cordis, nisi quatenus irritare partem valeat; ita si brachii arteria cum tanta cura ligari possit, ut irritatio nervea evitetur, nulla fieret vel in parte vel in corde mutatio.* GORTERUS Boerhaavii discipulis i); *irritationes, ait, nerveas, calorem, ruborem, tumorem, palpitationes, & a remotissimis partibus derivationes a stimulo, maxime si nervus circa ganglion irritetur. Solam puncturam vasis lymphatici illud rubro sanguine replere, siumlum vero per totam massam*

f) EBERHARD, L. C. p. 359.

g) Princip. medicina p. 64.

h) II. p. 268.

i) Libro de Perspiratione, C. VIII.

*diffusum, febrem ardentem accendere, in toto convictus, as-  
sentiri non possum, pulsationem vel inflammationem fieri ab  
obstructione arteriarum &c. Et §. 519: Quoniam ex compres-  
sione, decubitu, ligatione strictiori, contusione &c., observa-  
rant generari inflammationem, existimarunt angustationem, &  
ita obstructionem hujus esse causam: haec autem omnia omnino  
ratione simili, possunt quoque facere majorem motum.*

§. VII.

Erronea itaque mihi videtur nota illa a plurimis re-  
centiorum recepta Boerhaaviana inflammationis defini-  
tio *k)*; ac si illa esset sanguinis rubri arteriosi in minimis ca-  
nalibus stagnantibus pressio & attritus, a motu reliqui sangui-  
nis moti, & per febrem fortius acti Plenariam itaque ob-  
structionem simulque in iisdem vasis sanguinis attritum  
BOERHAAVIUS tanquam causam proximam inflammationis  
assumit; quæ duo autem utpote e diametro sibi opposita  
ego saltem combinare non audeo. Vasis enim penitus  
obstructis, sanguis in iisdem contentus nunc omni motu  
atque attritu privatus esse debet; quippe in vera obstru-  
ctione vasa sanguine infarcto ita turgent, ut ingressus san-  
guinis a tergo venientis penitus præcludatur. Dein nullus  
unquam sibi persuadere poterit, quod pauci quidam glo-  
buli sanguinei, qui in talia vascula penetrarunt, quorum  
diameter, referente SWIETENIO, ne quidem decimam  
partem diametri pili æquat, in his minimis vasculis im-  
pacti hærentes, tamen adhuc fluidi permanere debeant.  
Quo itaque omnes evitemus hypotheses, in interiora na-  
tura, quantum licet, nobis penetrandum, atque ad varias  
mutationes, quæ variis in casibus in corpore humano ac-  
cidere solent, probe attendendum est. Sic v. c. animad-

*k)* Aphor. 378.



vertimus in ictu Spinæ, acus, apis &c. in ambuſtionibus, in morbis veneris atque Gonorrhæis & ſic porro, vera inflammationis ſymptomata, dolorem, tumorem, ardorem, ruborem, nullam autem in ſic affectis partibus obſtructionem aut ſtaſin humorum præſupponere quis facile poterit, ſed ſymptomata inflammationis hiſce in circumſtantis potius a vehementiori irritatione derivanda eſſe, quivis facillime perſpiciet. Nonne itaque ab hiſce inflammationis cauſis, ſenſibus noſtris ſeſe offerentibus, ad ceteras omnes, quippe eodem modo agentes, concludere licebit? Quod ad tumorem attinet, ille quidem non ad eſſentialia inflammationis ſymptomata referendus, ſiquidem inteſtina non raro, in cadaveribus hoc morbo deſunctis, ſicca, tenuia, flava aut nigra reperiuntur; atque in ſcrophuloſis & veneris morbis adeſt ſapiffime languidum admodum erethiſmus, cum præternaturali humorum celeritate conjunctus, abſque ut in parte quadam tumor conſpiciatur. Ille tumor, qui ab extravafatione originem trahit, dilacerationi vaſorum debetur, quam autem in ſimplici inflammatione ſupponere non poſſumus; quomodo enim alias humores, ſecundum Boerhaavii mentem in vaſis ſtagnare poſſent? In vera contuſione, ubi circulatio humorum in parte ſic affecta ceſſat, illa utique fortior atque copioſior in lateralibus vaſis eſſe debet, ex quo tumor inflammatorius oritur, cujus cauſa autem neutiſquam in ſtaſi humorum quærenda. Tumor partis inflammatae juxta noſtram theoriam facillime explicandus: vaſis a quocunque ſtimulo irritatis, humores intus contenti præternaturaliter adauctam experiuntur celeritatem, fluidorum ſimul & ſolidorum actio atque reactio nunc fit fortior, vaſa denique perpetua concuſſione debilitantur, & ita tonum ſuum amittunt, ſicque vel per orificia nimis dilatata humorem in cellulolum textum effundunt, vel per latera eundem tranſudare ſiunt, ut ita tumor oriatur, neceſſe ſit. Dolor in parte



inflammata stimulum semper pro sua causa agnoscit; immediate itaque ab irritatione vasorum cum adaucto humorum motu conjuncta, sensim sensimque eorundem superatur tonus, sicque nascitur dolor. Calor, uti jam evictum, evolutis particulis igniferis originem debet. Rubor ab affluxu majori sanguinis, quum notissimum sit, cor ad quamcunque partem irritatam adeo magnam sanguinis copiam mittere, ut inde rubedo surgat, nisi illius causa aut a natura aut arte superetur.

§. VIII.

Causæ autem talem irritationem efficientes omnino variæ esse possunt, quarum permultæ forsân adhucdum nos latent. Ceterum cognitum est, quod præcipue inter alias sequentes stimuli loco agere soleant. Acrimonia; stasis in valis capillaribus; tenacitas atque humorum spissitudo; fibrarum rigiditas; humorum fermentatio; quæcunque mentis exercitationes immodicæ; vulnera & contusiones; corporis dein exercitia immodica cum exæstuatione. Videamus igitur adhuc paucis, quomodo hæc omnia nunc memorata in corpore nostro agere, qualemque mutationem in eodem producere soleant.

§. IX.

Omnes humores nostri acres dicuntur, quando illis heterogenea innidulantur, quibus tanquam stimulo vasa ad fortiorem incitantur actionem, adeoque actio simul & reactio solito vehementiores fiunt; sic motus augetur fluidorum, eodemque adaucto præternaturalis suscitatur calor atque inflammatio. Motus quippe omnes producuntur contactu, quo magis quoque corpus quoddam ad motum proclive est, eo major, facto contactu, motus erit, quo inæqualior porro contactus, eo inæqualior erit motus:

Particulas itaque acres motum naturali plus minusve contrarium exercere, non obsecrum est. Qua autem proprie ratione omnes sic dictæ acrimoniæ agant, explicatu admôdum difficile videtur; rem enim modo mechanico explicare velle, ac si acres particula vario modo figuratæ & acuminatæ essent, adeoque figura sua angulari vasa stimulant, nil nisi vana hypothesis est; nil enim ad secundas vias pervenire valet, nisi quod perfectissime chylopoieticis humoribus solutum, cujusque itaque aggregatio in totum ita sublata est, ut in elementa physica non amplius divisibilia decompositum sit; hisce autem elementis adhuc figuram quandam angularem effingere, ego saltem non auderem. Dein nullam plane rationem excogitare valeo, cur corpuscula acuta solummodo in acuto latere quiescant; quam maxime enim contra leges gravitatis quis peccaret, qui acumini & non planitie quietem tribuere vellet; acuminum quoque contactus in ea tantum parte obtinere potest, in qua acumina deteguntur, adeoque sanguinis humorumque motum in alterum modo latus spastice fieri debere, nemo in dubium revocabit. Corpuscula denique humoribus nostris inimica, licet figuram quoque rotundam referrent, eundem tamen effectum exserere valent, dum nimirum lateribus vasorum applicata eadem vel nimium extendunt vel constringunt. Pro vario nunc harum particularum genio, variæ quoque acrimoniarum species surgere debent.

§. X.

*Acrimonia acida*, ex vegetabili regno desumpta, humorum dissolutionem impedit, quum illa ex terræ visceribus deprompta eosdem inspisset atque coagulet. Quum igitur sanguis inspissatus causa sit sui lentoris, concludere poterimus, inflammationem tunc solummodo orituram, quum acrimonia

acrimonia vim stipticam induerit, nervos rodat, vaporumque obstructions excitet. Sanguis perpetuum absolvit circulum, vase quodam obstructo, transitum per alios canales quaerens, spatium vero massae sanguinae altero tanto majori arctius offert, vas extenditur, hacque extensione vaporumque elatere major vel fortior fit attritus in vasis dilatati parietibus, quo vis phlogist. sese nunc evolvens adaugetur, imo propria vaporum inflammatio atque eruptio in cellulofam telam efficitur. Variorum insectorum ictus non aliter agere videntur, quam acido suo concentrato, quod integumentorum contextum plus minusve aggreditur, quum experimentis demonstratum sit, alcali volatile in tali casu efficacissimum esse remedium *l*). Oleum vitrioli, acidum concentratissimum, nil aliud, praeter stipticum ignem constituit, attamen pennae &c. ei immisae comburuntur; huc pertinent quoque Spiritus Salis concentratus, Spiritus Sulphuris & aluminis *m*). Quodcunque itaque sanguinem coagulandi, inspissandi, vaporum oscula coarctandi vim exerit, inflammationi excitandae par erit. In genere omnia caustica, validissime agentia, tanquam acria acida, tristissimorum symptomatum fontes evadunt; fauces, oesophagum, ventriculum atque intestina validissime irritando, inflammationem, gangraenam atque sphacelum producunt, tunicisque firmiter adhaerendo, easdem vehementissimo dolore rodunt. Narrat BAGLIVIVS *n*), quod, cum cani juniore in venam jugularem sinistram certam quandam Spiritus Vitrioli quantitatem injecerit, ille vehementissimis convulsionibus contorqueretur, & femi quadrantis tempore expiraverit; thorace aperto, pulmones exsiccatos & nigros reperit, illaque pars colli, in qua experimentum instituebatur, sphacelo erat corrupta. Arse-

*l*) LE SAGE de *Alcali volatil* p. 46.

*m*) Cf. GRÆTERI *Dissert. de Venenis* p. 15.

*n*) *Operum* p. 465.



nicum, Auripigmentum, Sandarach Græcorum, Realgar, eosdem effectus exerunt o).

§. XI.

*Acrimonia Alcalina* humores dissolvit, in vaporum parietibus motum inæqualem excitat, lympham tenuiorem exprimit, fermentationem suscitatur cum pulsu plerumque parvo, celeri, calore intenso, post mortem adhuc per aliquot horas remanente p); ita aër nunc elasticus redditus sese expandit, mixtio sanguinis tollitur, sic evolvuntur simul particulae ignea atque inflammationem inducunt. Oleo terebinthinæ si spiritum salis ammoniaci infundas, utraque materies sese inflamat; causa videtur esse fermentatorius motus, quo phlogiston evolvitur. Ab acrimonia muriatica humorum quoque oritur dissolutio, gravitas major, aquosæ mucosæque partis exasperatio, circulationis atque caloris nativi augmentum, pruritus, rubores, erosiones &c. q); tam nervosum quam arteriosum systema irritantur, vinculum massam sanguineam continens distrahitur, sicque oritur motus sanguinis intestinus, quo phlogiston nunc liberatum vim suam elasticam, celere, mobilemque exerit, surgit ita calor, eoque ad fumum adaucto, putredo, cujus mali tandem gangræna atque sphacelus tristissimæ sunt sequelæ.

§. XII.

*Stasis humorum in vasis capillaribus.* Quod ab hac omni inflammatio derivanda sit, dubium omnino atque anceps mihi videtur. Quam sæpe enim in abdominalibus visceribus obstructions reperiuntur absque inflammatione? temper itaque inflammatio in circulo sanguinis adaucto,

o) Cf. *Misc. N. C. D.* 10. Obf. 21. III. SPIELMANNI *Inst. Chem.* p. 166. JUNCKERI *Consp. Chem.* Part. II. de *Acido universali*.  
 p) MACBRIDS *Arzneywissenschaft I. Theil*, p. 12.  
 q) GAUB. *Pathol. generali* p. 109.



irritatione nervosi systematis, in arteriosum venosumque propagata, & hæc in materia quadam morbifica, heterogenea in humoribus latente, quærenda erit. Minimorum itaque vasorum obstructio tunc demum inflammationes excitare valebit, dum, corde ab acrimonia quadam vel alio quocunque stimulo irritato, sanguinei globuli in aliena vasa impulsæ, illorum latera irritantes, in eodem illo loco ita affecto, inflammationem creant, non autem quatenus arteriolas obstruunt, sed quatenus stimuli sunt, & majorem in eo loco excitant motum r). Plurimi etenim, quum animadverterent, in morbis inflammatoriis vascula esse obstructa, statim inde argumentabantur, ergo obstructio est causa inflammationis; quum potius inflammatio causa sit obstructionis: quo enim cor atque arteriæ moveantur, adesse debet stimulus, idque extra omnem dubitationis aleam positum est; stimulo autem ultra modum adaucto, omnino quoque motus cordis atque arteriarum adaugebitur, inde fortior impulsus sanguinis ad parietes, vasa ipsa nunc validius extenduntur, circumjacentia vascula premuntur, & ita hac pressione necessario oriatur eorundem obstructio. Angustatio porro vasorum celeritatem sanguinis adauget; quodsi enim sanguini per vasa alias latiora transfluenti in angustioribus canalibus obstaculum quasi ponitur, ibi omnino impetus sanguinis fortior fiet, vice versa autem lenta erit circulatio; plenaria itaque seu propria obstructio locum non habet. Pona- mus enim, vas quoddam obstructum esse, ita ut nullam animadvertamus inflammationem, tunc cordis vis decrescit in locis remotioribus, & ita, ratione distantiae, imminutio harum virium semper erit progressiva, quoniam vi cordis positus est terminus; in actione quippe elastica arteriarum, sanguinis undis, gravitate, aliisque causis,

r) Cf. WINTERI Diff. cit. p. 175.



quærenda est sanguinis per arterias propulsio; hæc itaque vis arteriarum jam in divisione truncorum decrevit, & semper est progressiva <sup>s)</sup>, hinc obstacula in minimis vasculis per se minimum excitare valebunt tumorem, adeoque deductio inflammationis ab obstructione etiam ex hac parte non multum valebit; effectus insuper venæsectionis in tali statu non modo est depletio vasis, sed & relaxatio parietum, quæ antea contra liquidum distendens atque renitens contractæ fuerunt <sup>t)</sup>.

§. XIII.

*Spissitudo atque tenacitas humorum*: ubi cruoris globuli fortius se attrahunt, atque tenacius cohærent; effectus sunt, tardior per minores canales humorum transitus, stagnatio, obstructio, infarctus, multiferia denique tumorum genera <sup>u)</sup>. Fluidæ itaque particulæ hæc in circumstantiis inopia peccant, ita ut crassamenti globuli nunc justo fortius aduentur, sicque tenacitas humorum, densitas, immeabilitas atque circuitus lentor, quem cupiditas se decomponendi non raro excipit, omnino surgere debeant. Cum autem hæc humorum spissitudo in globulis rubris præcipue sedem suam figat, suspicari poterimus, phlogiston nunc in sanguine abundans, sensim sensimque evolutum, calorem intensiorem, præternaturalem vasorum extensionem, tandemque vehementissimam excitatum esse inflammationem.

§. XIV.

*Fibrarum rigiditas*. Hanc oriri, quomodo principia fibrarum elementaria justo validius, vel pluribus in punctis sese contingunt, non obscurum est. Causam agnoscit vel abundantiam particularum terrestrium adeoque fluidarum inopiam, vel licet illa in justa adsint proportione,

<sup>s)</sup> HALLERUS *Elem. Phys.* T. II. p. 177.

<sup>t)</sup> QUESNAY *l'Art de Q. p. S.* §. 287.

<sup>u)</sup> GAUBIUS *L. C.* §. 285.

fluidum tamen iusto spissius & densius obtinet. Vasa reddit minus flexibilia, angustiora, breviora, liquidorum motui nimis resistantia, inde varia orientur mala, multiplicia circuitus humorum, se & excretionum, nutritionis, incrementi, motuum ac sensuum impedimenta. Humores diutius in vasis detenti naturam induunt alienam, dumque oleosa præcipue particula minori nunc vi circumagantur, acres fiunt, acres reddita rodunt, urunt, ossibus cariem inferunt, inde humorum putredo, calor, & circulatio intensior &c. Cum porro ab eadem causa excretionibus simul oriatur impedimentum, quo præcipue perspiratio insensibilis spectat, hinc ficcat integumenta & rige facit, obstruit vascula minima, humorum molem in ceteris adauget, lassitudinem, anxietatem, congestiones, tumores, atque inflammationes creat. Concomitatur quoque non raro prædicta mala alvi suppressio; accumulatur inde faeces, indurescunt, earum expulsio perquam difficilis redditur; sic oritur intestinorum distentio, qua vasa premuntur, excitatur humorum affluxus, quem vasorum disruptio, humorum in cellulosum textum effusio, eorum resolutio, fermentatio, denique inflammatio, suppuratio aut gangrena excipit.

§. XV.

*Fermentatio* est turgescencia, quæ in corpore, a particulis varie agitatis, oritur; motus nimirum intestinalis principiorum alicujus corporis cum tendentia ad perfectionem, sive propter mutationem in aliud corpus. Particulae etenim elementares aut sua sponte, aut data occasione in motum concitæ mire exagitantur, a se invicem separantur, subtiles & magis activæ sese quaqua versus explicant, avolare nituntur, tamen ab aliis crassioribus implicitæ inter avolandum detinentur, crassiores interim a subtiliorum nisu & expansione subiguntur plurimum, & attenuantur, donec singulae ad exaltationes suas evectæ, aut



debitam subjecto perfectionem conciliant, aut alterationes atque mutationes a natura designatas complent. Ex confusione partium substantialium, sic etiam ex abundantia aut defectu unius aut alterius partis, nec non ex heterogenitate, corpus alterando atque mutando, fermentationem surgere posse, facile perspicitur. Distentionem vasorum non raro sequi solet fermentatio, dum illa eorundem actio in sanguinem impeditur, sanguinis circulus fit lentior, quia irritabilitas hac distentione est depravata *m*), surgit sic motus in sanguine intestinus, quem fermentationem appellamus, cujus cum variae dentur species, variis quoque ex causis deducendae erunt. Victu inordinate assumpto, tranquillitate, adjuvante aere impuro, simul & debilitate corporis, ingesta facillime in corruptionem abire possunt; chylus quippe ita impurus & acris redditus, in massam humorum transit, eosdemque simili labe inficit, sanguis incipit ebullire, & majorem producit calorem, quo spiritus volatiles simul & vires vitales dissipantur, surgit tandem fermentatio, qua mixtio humorum successive tollitur, phlogisticae exacerbantur particulae, arteriarum fibrae & nervi illas concomitantes validissime irritantur, vis cordis & vasorum eum in modum tandem increfcit, ut inflammatio praesto fit. LEUTHNERUS *x*) de fibribus inflammatoriis putridis ait: *Ihre unmittelbare Erzeugnis Ursache ist allemal eine in den ersten Wegen gehrende, und so dann in die Geblüts-Masse eingedrungene Galle, nebst einem ungleich starkeren oder schwachern Grad der Vollblütigkeit; & in sequentibus: Aus diesen practischen Bemerkungen gab sich ein doppelter Stoff in der Kranckengeschichte zu erkennen, wovon die Tödlichkeit herflamnte Benanntlich ein von auströmender er-*

*w*) HALLERUS testatur, se frequenter satis vidisse, distentam sanguine auriculam, ex ea ipsa causa, suam irritabilitatem amississe. Sur l'irritabilité Exp. I. p. 545.

*x*) Beobachtungen General- sowohl als Special- Cur- Methode hitziger Gall- und Faulfieber p. 28. & 29.





hitzer Galle abkommendes Fieber, und aus diesem Urstoffe, wozu noch eine natürliche Anlage von dem Temperament, Alter und Lebensart sich gesellte, eine angespannene Entzündung des erhitzten Blutstroms, dessen flüchtiges Steigen gleich in den ersten Tagen vorzüglich gegen dem Haupte gerichtet war.

§. XVI.

*Commotiones mentis immodicas non raro valido sanguinis æstu excipi, quotidiana edocemur experientia; qua autem proprie ratione hoc fiat, nos latet. Id certum est, nervos tali in statu validissime affici. Tristitia nimis diu protracta individuum comitem sibi jungit hecticam febrem, ira inflammatoriam biliosam; impetu quippe efferato nervos, musculos, sanguinem, bilem exagitat, hinc furorem, inflammationes, febres ardentes &c. creat y). Vulnura, læsiones, contusiones. Quæcunque solutio continui in parte solida molli, vulnus seu læsio dicitur; quumque læsa pars consuetas functiones non amplius rite peragere potest, tunc status adest morbosus: ad quamcunque autem partem vulneratam, humores tanquam ad partem minus resistentem affluunt; sublatum quippe inter solida & fluida æquilibrium humores in loca debilitata allicit, ipsa quoque irritatio instrumento lædente in fibris nervisque causata, fluida ad partem tōno suo destitutam attrahit; sic oritur irregularis humorum circuitus, quem febris excipit.*

§. XVII.

*Corporis exercitationes immodica, vel exæstuatio. Vehemens corporis exercitatio, idem id, quod omnes acrimoniæ irritando faciunt, præstare poterit. Labore quippe immodico dilatantur vasa, id quod in omnibus corporis exterioribus partibus, vasis sanguineis distinctis & sola epidermide rectis v. c. in genis, oculis &c evidens est, qui calore corporis exæstuante, fulgentes & teni prominent, solitoque majores apparent. Sanguinis conditio hisce in circumstantiis a naturali sua crassi sensim sensimque recedere debet, usque dum tandem particulæ ejus constitutivæ a sua mixtione recedant, principium inflammabile*

y) GAUBIUS l. c. p. 209.

jam validius agitatum, sui juris fiat, & ita præternaturalis inducatur calor; particulis quippe igniferis a reliquis sese liberantibus, perpetua ut sustentetur irritatio, calor augeatur, totaque dein sanguinis mixtio penitus ut destruat, necesse est. Hacce destructione, qua vaforum fuscitur extensio, sanguinis globuli in vasa sibi non destinata irruent; sic variæ turbantur functiones, vasa vel inflammatorie intumescunt, ut iisdem ultra modum dilatatis, aut plane disruptis, sanguis in telam erumpat cellulosam, blandam suam indolem exuat, atque motu fermentatorio, vel in suppurationem (quod summopere optandum, ubi nulla resolutio locum habet) vel in gangrænam atque sphacelum, inque locis glandulosis non raro in scirrhum abeat, quem, ubi irritaveris, in cancrum immedicabilem aut fistulam rodentem transire videbis. Omnia hæc graphice admodum depinxit Excell. ZIMMERMANNUS 2), en ejus verba: *Eine allzustrarke Uebung bringt bekanntlich den Athem und das Blut in einen starken Trieb. Sie neigt es zur Entzündung, sie scharft die Salze, und schmelzt das Fett, sie stürzt in hitzige Krankheiten, Fieber, Blutflüsse, Erstickung und Tod; oder sie treibt unsere Säfte aus ihren Behältnissen, und überstürzt ihren Auslauf. Ich sehe und lese diese schädliche Wirkung noch beträchtlicher, wann die Hitze gros ist, und der Leib durch die nöthigen Speisen und Getränke nicht unterhalten wird, oder wann man aus der Ruhe in eine heftige Bewegung fällt; auch gleich nach Tisch ist die Leibesübung schädlich.* Verum enimvero, dum frigus consistat in depravatione phlogistica, lentorem humorum semper sequitur frigus; dum itaque actio in fluidis imminuitur, videtur quoque acrimoniam quandam oriri posse ex nimia tranquillitate seu inertia. Quia particulæ compositæ in fluidis non ita involvendæ sunt, uti in solidis, hinc conatus ad statum primogenitum, omni corpori pene proprium, in fluiditate major est, quam in soliditate. Omne corpus compositum in fluidis incipit se movere, quo calor, stimulus arteriarum atque cordis oritur. Perspicuum itaque est, frigori in nostro corpore semper succedere calorem: Lentor autem humorum, ni fallor, ab inertia sive a pigritia sese movendi, derivandus erit, & ita ex statu tranquillitatis, humorum fermentatio orietur, dum alcali volatile fixum redditur, cum alieno corpore calorem fermentantem suscipit, qualis calor autem tamdiu durat, quamdiu motus contraversitatis præfens est, aut alterum corpus cum altero coit, qualis unicitæ simultanea vocatur affinitas; adeoque causa proxima frigoris atque caloris immediate a depravatione aut abundantia particularum ignearum petenda est, quippe hoc omni corpori proprium est.

2) Erfahrung in der Arzneywissenschaft, II. Theil, p. 356.







ULB Halle  
006 608 760


3



56

WOM





16  
Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
INFLAMMATIONIS  
IDEAM  
SISTENS

GRATI

Æ

GRAD

D

JOH. A.

US

Typis

